



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Emmeranvs M. Et. P. 22. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

manus hospitis sui sanguine lavare reformidarunt. Sed ille nullam aliam symbolam quàm eadem suam oravit. Accepit ergo hanc, & tumultu suo effudit. Noverat jam, noverat resurgere flores terrâ obrutos. *Ex Sur.*

S. EMMERANVS M. ET P.

22. Septembris.

**O**rtum hoc sidus in Aquitaniâ effluxit diu Bojarix, sed nunquam clariùs, quàm cum occidit. Res in hunc modum gesta. Vta Theodonis IV. Bojorum Ducis filia, dum stupri consuetudinem cum Sigebaldo juvenecaterâ nobili habet, ecce uterus intumescens scelus prodit, ipsa E. M. M. E. R. A. N. O, dum patrem eum dicit, mortem parit. Landbertus enim Vtgermanus scalarum radiis illigato manuum pedumque digitos, aures item naresque & quæ natura velavit, articulatim omnia præsecat, eruit oculos, linguam denique stirpitus avellit. Sed etiam sine hâc cū loqueretur EMMERANVS, quid aliud loquebatur, quàm innocentem se mori? quid? Terra & illa quæ sanguinis imbres biberat, & illa quæ tumultum prima dederat, nunquam non virenti cespite læta; aër qui ipsos XL. dies nefas flevit, quod homo fecerat; undæ Danubii & ipsæ cæli lacrimis exundantes, lampadum ignes, qui



qui in eâ pompâ, quâ Ratisponam sacra lipsana advecta sunt, inter omnes ventos pluviasque pertinaciter emicabant; mira denique alia innumera, an non totidem integritatis testes sunt ab omni naturâ submissi? Nec pro E M M E R A N O solum, etiam contra E M M E R A N I hostes Numen pronuntiavit. Correpti insaniâ carnifices, Vta Landbertusque exules, illa inter Italos, hic inter Hunnos perierunt, vindictâ in feros etiam posteros grassante, quorum omnium vel cita vel longa mors, hoc est misera vita fuit, ut ita non minus diu, quam sapè moriens innocenti tyrannus parentaret. *Ex tom. 1. Bav. S. & to. 1. Annal. Boio.*

## S. PROIECTVS EPISC.

23. Septembris. /

**N**ihil jam novi, si laudes suas infantia in utero loquitur. Ita P R O I E C T V S noster gravidæ parenti visus est in somnis per latus nasci, & dextrâ lilium præ se ferre triumphans. Sensit certè patria ( Forum Cornelii fuit ) virtutis odorem & laudavit a minimum etiam lilio candidiorem. Ipse literis bonis imbutus Episcopo Cornelio adfuit, & cùm in stipem pauperum non nisi duo denarii superessent, loculos vacuos tanto miraculo infasit, ut in totius paupertinæ cohortis stipen-